

illi fratri, si longe est, i. e. illi in mente tua veniam petere; postquam reversus fuerit, illi etiam corporaliter veniam debes petere. Si autem frater tuus tibi aliquid mali fecit, non debes illi veniam petere, sed solummodo parcere ex toto corde; sic enim Augustinus dicit; Hieronymus vero etiam istum, qui malum passus est, illi, a quo passus est, veniam petere dicit.

Cap. XIV.

IN NATALITIIS SANCTORUM QUALITER VIGILIAE
AGANTUR.

In sanctorum vero festivitibus vel omnibus solemnitatibus, sicut diximus dominico die agendum, ita agatur. De solemnitatibus jam superius dictum est. Nunc autem videamus, quare dicatur festivitas. *Festivitas dicta a festis diebus quasi »festiditas«, eo quod in eis sola res divina fit, quibus contrarii sunt fasti, in quibus jus fatur, i. e. dicitur.* ¹⁾ Adtendendum est in hoc loco, quia, cum dixit *festivitibus*, non dixit *omnibus*, sicut in solemnitatibus, et ideo necesse est causa discretionis; cum dixit *festivitibus*, subaudiendum est: praecipuis. Et hoc intuendum est, quia in eo, quod dixit *in sanctorum festivitibus*, subintelligendum est, ut in aliis sanctorum festivitibus commemoratio fiat sanctorum, sed tamen non sicut in dominico die. Nam si in festivitibus sanctorum de omnibus sanctis, qui missas suas habent, sive praecipuis sive non praecipuis, intelligatur, difficile videtur, eo quod multae erunt illae festivitates sanctorum, sicut in libro missarum continentur, quia in illo libro inultorum sanctorum missae scriptae videntur, ac per hoc aut dimittentur aut cum nimio labore celebrabuntur, et paene nihil aliud faciendum erit propter multitudinem sanctorum. Sed, sicut diximus, cum dicit *festivitibus*, subaudiendum est: praecipuis. Solemnitates attinent ad Christi solemnitates, ²⁾ quamquam de solemn-

¹⁾ S. Isidori etymolog. lib. 6. c. 18. n. 1.

²⁾ mysteria. cod. Divion. ex Marten.